



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 82. De rebus Regni Neapolitani, & Venetorum pace cum Cæsare

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1515.

§. LXXXII.

De rebus Regni Neapolitani, & de Venetorum pace cum Cæsare.

**H**is ita compositis duo alia Bononiæ agitantur negotia, quorum primum erat Neapolitani Regni invasio, alterum vero pax Cæsarem inter & Venetos facienda: Probe enim prospexerat Pontifex, quod Galliarum Rex occupati Mediolanensis Ducatus terminis felicitati suæ metam nullatenus positurus, sed potius superatis demum alpiibus victricia arma in interiora etiam Neapolitani Regni illaturus esset, ipsa expeditionis facilitate tunc eum alliciente; cum enim Cardonius ad reparandas debilitati exercitus sui vires & fides & pecuniæ deficerent, sola Regis præsentia ad populos in fidem accipiendos deesse videbatur: unde ad Regni hujus possessionem Hispanis conservandam omnino expedire censebat Pontifex, ut Galliarum Regem ab hac expeditione revocaret, eamque alia occasione utilius suscipiendam fore, eidem persuaderet. Valuit quoque successus; cum enim Rex eo tempore ad hanc belli molem viribus impar esset, facile illum induxit Pontifex, ut Regni expugnationem usque ad

*liandi causas recenset præter alios Raynaldus Odoricus l. cit. & Bzovius ad ann. 1516. num. 22.*

ad obitum Regis Catholici differret. Sæcul. XVI.  
A.C. 1515.

*Haud diu, inquit Leo, Hispaniarum Rex vita superstes erit, ætas jam prope ex-*  
*acta, adversaque ejus valetudo proximam*  
*mortem comminantur. His permotus Rex*  
*arma suspendere decrevit. Agebat insu-*  
*per Franciscus cum Pontifice de pace*  
*Cæsarem inter & Venetos concilianda,*  
*qua in re utriusque sententia eo abibat,*  
*ut Ægidius Augustinianorum Magister ge-*  
*neralis ad Maximilianum Cæsarem able-*  
*garetur, qui pacem cum Venetis redin-*  
*tegraret, simulque Imperatorem horta-*  
*retur, ut Brixiam & Veronam Venetis*  
*accepta ab iis certa auri summa restitue-*  
*ret, eoquod adversus Reipublicæ poten-*  
*tiam ambas urbes tueri haud valeret,*  
*maxime, ubi Galli occupata Mediolanen-*  
*si ditione Venetis juncti essent.*

§. LXXXIII.

*Papa a Rege abolitionem Pragmaticæ*  
*Sanctionis postulans.*

**N**onnisi pragmaticæ Sanctionis, quam  
Papa omnino abolendam postulabat,  
negotium supererat. Ea ab initio haud  
alio ex fine condebatur, quam ut vetus  
Ecclesiæ Gallicanæ disciplina ex primis  
Conciliis hausta in sua firmitate persiste-  
ret; verum Romana Curia, postquam  
antiquis Canonibus decreta Pontificum